

Itaque fuit olim remissio poenae poenitentibus concessa propter merita sanctorum auctoritate Ecclesiae, quae quid a nostra indulgentia differt, si essentiam rei spectas? Neque enim cogitare licet praetermissa fuisse merita Christi, quorum certa mentio in absolutionibus fiebat, et sine quibus nihil valuissent merita martyrum.

XVI. Erat ergo antiquitus in Ecclesia tum latina tum graeca, quibus communis erat praxis poenitentiae, usus concedendarum indulgentiarum. Immerito proinde Protestantes obiiciunt nullum in Ecclesia graeca usum fuisse Indulgentiarum. Nam primo nihil ex non usu colligi hac in re monuimus in initio huius §. Deinde unde hanc notitiam hauserunt Protestantes? nonne graeci, quemadmodum latini, absolutionem dabant in fine poenitentiae publicae? nonne censere licet et ipsos martyrum merita et intercessionem pro poenitentibus admisisse? non enim hic usus, ut Protestantes volunt, in sola Africa obtinuit; nam simile quid narratur de martyribus Lugdunensibus et Viennensibus (Euseb. H. E. V. 2), in quibus Ecclesiis plures erant graeci et in Graecia instituti. Quod si deinceps non adeo usus indulgentiarum in Ecclesia graeca adolevit, id (cum ipse usus rei ad disciplinam spectet, quae varia esse potest in diversis Ecclesiis) nihil officit fidei totius Ecclesiae in potestatem divinitus acceptam remittendi poenas Deo debitas, extra Sacramentum. Cf. H. Hurter l. c. n. 583. seq.

### §. III.

#### Demonstratio potestatis concedendi indulgentias in Ecclesia.

I. Praxis ipsa constans in Ecclesia indulgentias concedendi argumentum est Ecclesiam credidisse semper se hanc potestatem accepisse divinitus: idcirco iam demonstrata censi debet talis potestas. « Quod enim universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum est sed semper retentum, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur, » ut fert notum axioma Augustini (de Baptismo contr. donatist. L. IV. c. 24), qui alibi quoque advertit: « si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, iam quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est (epist. LIV. al. 118. c. 5.) ». Nihilominus aliud penitus argumentum quaeritur petatum ex ipsa natura potestatis, quam certo novimus a Deo Ecclesiae factam, et quaeritur an demonstrari valeat quod in ea continetur quoque potestas concedendi indulgentias. Notum est enim theologos generatim hanc facultatem demonstrare ex verbis Christi ad Petrum: tibi dabo claves regni caelorum: quodcumque solveris etc.: quaestio est igitur an ex his

confici possit demonstratio potestatis dandi indulgentias. Et quia potestatis huius exercitium innititur thesauro meritorum Christi et sanctorum, quaeritur quoque quomodo huius thesauri in Ecclesia existentia demonstratur.

II. Quaestio haec altera, si rite intelligatur, dicenda est soluta eo ipso quod solvitur prior. Nam quomodo concipi potest potestas Ecclesiae remittendi hominibus poenas coram Deo, nisi supposita satisfactione Christi, quam ipse pro omnibus omniumque peccatis Deo obtulerit, applicandam singulis per media a se instituta, cuius valor semper maneat in acceptatione divina? Quemadmodum enim potestas conferendi gratiam per Sacramenta supponit merita Christi, propter quae sola hominibus gratia conferri potest, ut idcirco qui demonstrat esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata, demonstrat quoque exstare Christi merita applicabilia pro omnibus peccatoribus per potestatem clavium, ita qui demonstraverit divinitus collatam esse Ecclesiae potestatem remittendi poenas coram Deo, ipse iam demonstrasse dicendus est exstare Christi satisfactiones applicabiles omnibus poenitentibus ministerio Ecclesiae. Atqui istud est esse in Ecclesia thesaurum meritorum Christi dispensandum fidelibus auctoritate ipsius Ecclesiae. Et haec ratio fuit cur thesauri huius mentio explicita saltem non occurrat statim ac occurrit mentio indulgentiarum. Primus enim Pontifex, qui thesaurum hunc appellat, est Clemens VI. At, quod ipse Clemens in sua Decretali advertit, iure praesumitur quod Bonifacius in concedenda Iubilaei indulgentia ceterique Pontifices praedecessores ad hunc thesaurum respexerint: nam quomodo citra applicationem meritorum et satisfactionum Christi potest Ecclesia remittere solo exercitio potestatis poenam debitam coram Deo? Non erat ergo opus mentionem thesauri facere, nisi cum rei distinctior notitia per analysim suppeditanda fuit.

III. Quoad merita Sanctorum, ea quidem necessaria non sunt pro exercitio huius potestatis; sed cum reapse illa existant applicabilia nobis atque a Deo acceptentur ad hunc effectum, nequeunt a thesauro Ecclesiae excludi. Neque enim adduntur merita Sanctorum meritis Christi, ac si paria his existimarentur, aut haec insufficientia: sed quia vi meritorum Christi etiam merita Sanctorum aliquid valent, ut sic propterea ostendatur excellentia meritorum Christi, quae aliis quoque vim expiandi communicant. Cf. Bellarm. l. c. Lib. II. c. 5. Quod vero ea Sanctorum merita existant, quae nobis valeant applicari, patet posita hac triplici veritate: tum quod plures iusti plus satisfactionis exhibuerint Deo, quam eorum peccata exigent; perpende quae passi sunt tot sanctissimi Martyres, Monachi et Virgines et, quae immunis fuit ab omni peccato, b. Deipara: tum quod



satisfactiones ab aliquo admissae valere possint pro alio (cf. Th. XXXIX.): tum quod sanctorum communio participatioque mutua honorum in Ecclesia obtineat. Quod vero actu Deus haec merita acceptet ad remissionem poenae nobis debitae constat nobis ex sensu et doctrina Ecclesiae. Ubi ergo manent merita ista, virtute quorum remissio poenae nobis conceditur? in acceptatione divina, in scientia nempe Dei, quae praesentia ea semper habet, et in voluntate ea nobis applicandi seu acceptandi ea pro extinctione nostrorum debitorum, mediante Ecclesiae ministerio.

Merita idcirco sanctorum non sunt id, virtute cuius Ecclesia dispensat indulgentias, seu propter quod Ecclesia habeat potestatem dandi indulgentias: id enim est proprium meritorum Christi: sed sunt id unde Ecclesia, auctoritate accepta a Deo, qui illa merita pro aliis quoque acceptavit, dispensat fidelibus indulgentias.

Ludunt vero inepte in re seria Protestantes (Chamierus l. c. cc. 3. 12) cum introducunt Catholicos dividentes Christi merita et satisfactiones in partes sine fine, singulasque docentes singillatim applicari: credimus enim omnes satisfactionem formaliter Christi unam esse infiniti valoris, divisionem vero se habere tantum ex parte effectus, sive ex parte subiectorum, quibus applicatur.

IV. Quaestio idcirco fieri solet an merita Christi et Sanctorum sint in thesauro Ecclesiae unde indulgentiae dantur, sub specifica ratione meriti an potius sub formali ratione satisfactionis. Nomen enim meriti accipi potest et generice, quia satisfactio quoque meritum quoddam est quatenus aliquid exigit, h. e. extinctionem debiti, et specificè prout differt a satisfactione, quatenus nempe meritum est exigentia praemii. Prout Christus actibus suis meruit nobis omnia bona et inter haec remissionem poenae quoque temporalis atque potestatem concedendi eam in Ecclesia, merita Christi specificè accipiuntur: quatenus vero merita Christi et Sanctorum sunt in thesauro, unde dantur indulgentiae, sunt ibi formaliter ut satisfactiones. Sunt enim ibi quatenus loco satisfactionis a nobis debitae pro poena acceptantur a Deo ad remissionem poenae: atqui quod exstinguit debitum poenae est specificè satisfactio. Cum ergo opera bona Sanctorum non ea sint, quae Ecclesiae meruerint potestatem dandi indulgentias, nequeunt esse in hoc thesauro Ecclesiae nisi sub formali ratione satisfactionum. Constat autem eas satisfactiones Sanctorum in thesauro Ecclesiae contineri, quae valere possint pro aliis, hae porro non sunt eae, quibus ipsi iusti poenas a se debitas redemerunt, sed quae superfuerunt ipsis, deficiente debito poenae, aut quae ipsis non fuerunt applicatae. Neque dicunt catholici Sanctos plus suis operibus bonis praestitisse Deo ac meritos esse quam sibi opus foret, sed dicunt plures sanctos e. g. b. Deiparam, Ioannem Baptistam, tot Mar-

tyres, confessores innocentes simul et poenitentes plus satisfactionis poenalis exhibuisse, quam opus ipsis fuisset ad extinguendum debitum poenae temporalis, quo tenerentur coram Deo. Cf. Bellarm. l. c. et Suarez l. c.

V. His positis liquet satis esse demonstrationem eam afferre, qua efficiatur collatam esse divinitus Ecclesiae potestatem remittendi poenas temporales Deo debitas, extra Sacramentum. Nolumus uti solis verbis Christi dictis ad Petrum aliosque Apostolos: *quaecumque solveritis, quaecumque ligaveritis* etc. nam, ut iam monuimus Th. VIII, cum haec verba nequeant patere indefinite, licet constet eis verbis institutam esse in Ecclesia potestatem plenam quoad omnia quae necessaria sunt societati huic, tamen cum de quibusdam specialibus iuribus agitur, sine quibus Ecclesia existere posse videtur, quoniam quod Ecclesiae hoc vel illud necessarium sit id tandem pendet a divina institutione a qua est tota essentia Ecclesiae, dubitare semper licebit an ea iura, sine quibus perfecta societas utcumque esse posset, contineantur ea potestate clavium, quam Christus contulit Petro, nisi aliunde id certo probetur. Quocirca oportet in hac quaestione cum istis Christi verbis conferre ea, quibus constat immediate factam esse Ecclesiae potestatem remittendi peccata. Qua veritate stabilita liquet, collatis verbis Christi penes Matthaeum, potestatem ligandi et solvendi esse a Christo ita institutam ut se exerceat quoque circa peccata: quia vero est potestas plena in suo ordine, *quaecumque ligaveris, quaecumque solveris*: ergo et circa peccata plena erit. Hoc igitur est argumentum. Christus fecit Ecclesiae plenam potestatem remittendi peccata fidelium, atqui haec plena potestas complectitur quoque potestatem remittendi poenas reliquas post remissam culpam: ergo. Maior certa est ex dictis: minor facile probatur. Nam remissio huius poenae est quaedam remissio peccati; est enim remissio reatus consequentis actum peccati, et remissio talis appellatur in Scripturis remissio peccati, et si finis habeatur collatae potestatis remittendi peccata, qui est consecutio salutis, etiam haec remissio poenae ad eam confert, nam nequit quis cum reatu ullo poenae ad beatitudinem admitti: ergo.

Dices: enarrantes (Th. VIII) verba Christi penes Ioannem, negavimus ibi esse sermonem de remissione solius poenae temporalis. Scilicet negavimus ibi conferri potestatem, quae solum se extendat ad poenas temporales. Quod autem ibi detur potestas, quae se porrigat etiam ad solas poenas temporales, h. e. quae se exercent etiam cum sola poena temporalis est remittenda, id etsi forte ex solis illis Christi verbis nequeat demonstrari, attamen cognita, ope verborum Matthaei, amplitudine huius potestatis, id nec tunc negavimus et nunc affirmamus demonstrari.



Haec demonstratio nobis sufficit, quam censemus praeterea referre sensum Ecclesiae, quae indulgentias concedens, solet etiam eas sub hac forma largiri, ut dicat nempe se concedere remissionem peccatorum.

Tandem ad complementum demonstrationis advertendum est, hanc potestatem remittendi solam poenam temporalem post remissam culpam, non esse sacramentalem: nam neque ut talis ab Ecclesia agnoscitur, neque est ratio cur agnoscatur. Etenim Sacramenta sunt, quae gratiam sanctificantem aliaque dona interiora conferunt: at pro remissione solius poenae nulla opus est infusione gratiae dominique interioris. Adest ergo in Ecclesia potestas divinitus collata remittendi post deletam culpam, reliquam poenam temporalem, extra Sacramentum: q. e. d.

Ex hac demonstratione, collata quoque praxi, de qua in §. praeced. patet falsum esse quod Protestantes affirmant (Chamierus in sua Panstratia Tom. III. lib. 24. c. 2.) incertam esse originem indulgentiarum: etsi historice indicari nequeat primus actus, quo haec potestas se exercuit, quod profecto nihil refert, imo argumento est potius usum hunc semper viginisse in Ecclesia.

**Corollarium.** Cum constet satisfactiones iustorum posse aliis applicari (Th. XXXIX) ut his poenae remissio obtineatur, erravit Baius negans (prop. 60) per passionem Sanctorum indulgentiis communicatas redimi nostra delicta.

VI. Nunc quaedam specialia de natura huius potestatis. Quaeritur qualis sit haec potestas, ordinis ne an iurisdictionis. Certum est quod ea versatur in re spectante ad forum Dei: nam reatum solvit poenae debitae coram Deo, quo anima obligatur. Certum est pariter quod haec potestas, ut iam diximus, non est sacramentalis, sed est ea ipsa potestas, cui Christus regimen sociale Ecclesiae commisit, quae utrumque potest et per Sacramentum remittere culpam et sine Sacramento remittere poenam. Potestas igitur concedendi indulgentias non ordinis est sed solius iurisdictionis. Nam per ordinem potestas tantum sacramentalis datur, cuiusmodi non est potestas concedendi indulgentias. Et sane si potestas ordinis esset, ea sacerdotio obtineretur, sicut potestas sacramentalis remittendi peccata, et sine illa non haberetur: atqui usu Ecclesiae constat hanc potestatem competere iis quoque qui Sacerdotes non sint, eaque prorsus destitutos esse et eos qui Sacerdotes sint facultatemque absolvendi a peccatis habeant: ergo ordo nec requiritur nec aliquid confert quoad concessionem indulgentiarum: et ideo potestas haec non est ordinis. Restat ergo ut sit potestas iurisdictionis, quemadmodum est generatim potestas ligandi et solvendi, qua continetur et potestas dandi

indulgentias. Sane, ut iam vidimus (§. 4. n. VII), ea nequit exerceri nisi in subditos. Neque obiicias eam non posse exerceri in invitos: nam falsum est omnem iurisdictionem debere posse exerceri in invitos, ut patet in iurisdictione absolvendi sacramentali (cf. Suarez l. c. D. XLIX. §. 3. et Lugum l. c. §. 1<sup>o</sup>). Itaque potestas dandi indulgentias est potestas solius iurisdictionis, quae tamen non in foro externo Ecclesiae, sed in foro interno h. e. Dei effectum operatur, solvit enim reatum hominis coram Deo. Quod quidem non est proprium huius potestatis; nam idem obtinet cum e. g. auctoritate ecclesiastica relaxantur vota.

VII. Quinam sunt igitur, quibus haec potestas competit? Certe ea competit Rom. Pontifici, cui datae sunt regni claves, ac competit iure divino atque pro universa Ecclesia. Episcopos quoque olim usos fuisse hac potestate et quidem iure ordinario certum est, si vera est demonstratio, qua effecimus antiquitus indulgentias fuisse in Ecclesia concessas. Quia vero est quidem ex institutione Christi iureque divino quod sint in Ecclesia Episcopi habentes iurisdictionem necessariam pro regimine partis gregis, haec tamen iurisdicatio ipsis immediate confertur a Rom. Pontifice, qui eam recte etiam et rationabiliter agens in pluribus, ratione habita boni communis, temperare potest certosque inter fines concludere, ita ut alicuius etiam iuris non quidem necessarii, sed convenientis Episcopo, cuiusmodi est ius dandi indulgentias, exercitium suspendatur aut irritetur (cf. Tract. nostrum de Rom. Pont. in Proleg. §. XIV et in Tract. Th. XIV): hinc affirmare quidem licet potestatem concedendi indulgentias partem esse si non necessariam saltem convenientem ex iure divino iurisdictionis episcopalis: at non licet affirmare eam Episcopos obtinere immediate a Deo, eamque exercere valide posse extra limites sibi statutos a Rom. Pontifice. Quocirca hac in re sicut in aliis potuit esse secundum diversa tempora diversa oeconomia Ecclesiae.

Presbyteris vero etiam antiquitus vetitum erat reconciliare publice poenitentes citra Episcopi delegationem (cf. can. Illiber. pag. 167), quae in casu necessitatis diaconis etiam dabatur (cf. testimonium Cypriani pag. 166). Ordinaria proinde potestas dandi indulgentias tantum Rom. Pontifici et Episcopis, licet impari gradu, competere dicenda est. S. Thomas in Suppl. q. XXVI. a. 1. rem declarat hoc pacto. Supponit primum indulgentiam habere effectum secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur, non solum ex vi caritatis, sed etiam ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum. Tum advertit quod intentio alicuius potest esse in singulari, ad unum scilicet, vel in speciali, ad quamdam nempe partialem communitatem, cuius sit membrum, vel in generali, ad totam scilicet



Ecclesiam: Hac vero facta ordinatione ille, qui praeest partiali communitati poterit communicare bona illius communitatis: qui vero praeest Ecclesiae poterit communicare et bona Ecclesiae et bona singularum partialium communitatum, quae in Ecclesia includuntur. Adverte tamen quod bona Ecclesiae non sunt ea tantum, quae ex intentione agentium ad eam ordinantur, sed omnia bona superflua iustis, quae Deus pro ceteris, ut diximus, certo modo communicanda acceptat. Porro ex tribus communicationibus a se indicatis, *in singulari, in speciali, in generali*, monet s. Doctor quod « neque prima, neque secunda, indulgentia dicitur, sed solum tertia, propter duo. Primo quia per illas communicationes quamvis homo solvatur a reatu poenae quantum ad Deum, tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem iniunctam, ad quam obligatus est ex praecepto Ecclesiae, sed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito solvitur (a poenitentia scilicet iniuncta pro poena debita in foro Dei, sed cf. quae dicemus in fine, n. XII). Secundo quia in una persona vel in una congregatione non est indeficientia meritorum, ut sibi et omnibus aliis valere possint; unde iste non absolvitur a poena debita pro toto, nisi tantum determinate pro eo fiat, quantum debet. Sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum, praecipue propter meritum Christi. Et ideo solus ille, qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentias facere. Quae ratio cur solus praelatus Ecclesiae possit indulgentias facere, non excludit aliam, quia scilicet concessio indulgentiae est actus potestatis clavium. Sane subdit s. Doctor « quod Ecclesia assimilatur congregationi politicae, quia ipse populus Ecclesia dicitur, sed conventus diversi vel parochiae in una dioecesi assimilantur congregationi in diversis familiis vel diversis officiis. Et ideo solus Episcopus proprie praelatus Ecclesiae dicitur... sed Sacerdotes, qui plebibus praeficiuntur, non sunt simpliciter praelati, sed quasi coadiutores... Unde Sacerdotes parochiales vel abbates aut alii huiusmodi praelati non possunt indulgentias facere ».

VIII. Quaeritur deinde an exercitium huius potestatis coerceatur aliquo limite, exigatur scilicet aliqua conditio ut validum sit, an sit prorsus liberum et inconditatum. Sive aliis verbis quaeritur an exigatur aliqua causa rationabilis ut valide haec potestas exerceatur, an etiam nulla existente causa rationabili, etsi forte non licita, sit tamen valida dispensatio indulgentiarum.

Causam aliquam requiri iam monuimus §. 1. huiusque assertio- nis ratio duplex est. Altera extrinseca ex sensu Ecclesiae petita, quae non solum ita semper egit ut propter causam aliquam concederet indulgentias, sed professa quoque est eam requiri, cum authentice declarans vim huius potestatis conditionem semper apposuit cau-

sae piae et rationabilis (cf. verba Clementis VI et Leonis X §. 1.). Hinc effatum veterum theologorum valere indulgentias: si sit auctoritas in dante, gratia in suscipiente, pietas in causa. Ex quibus liquet causam non esse sufficientem ipsum bonum, quod obvenit homini ex remissione poenae: si enim id foret, nunquam posset supponi quod causa desit eo ipso quod indulgentia datur; quod tamen Theologi manifeste faciunt. Et sane cum requiritur causa ut aliquod beneficium conferatur, sine qua collatio beneficii non valeat, satis aperte distinguitur causa ab ipso beneficio.

Altera ratio eaque intrinseca est, quia Ecclesia in hac re non se habet ut domina, sed solum ut administratrix, neque enim ipsa offensa est, sed Deus, cuius tamen offensionum poenas remittit. Praeterea cum honor Dei violatus satisfactionem exigat ab offensore, ut Deus cedat huic iuri oportet ut honor Dei alio bono compensetur, sive aliud quid in honorem Dei praestetur, quod secundum rectam existimationem aequivaleat seu Deo aequae gratum censeatur ac satisfactio pro debito poenae. Istud vero est quod dicimus causam concedendi indulgentias.

IX. Quaeritur tamen an quaelibet causa pia sufficiat pro quavis indulgentia; aliis verbis: an requiratur causa quaedam proportionata. Certum est causam debere esse iustam; per concessionem namque indulgentiae dispensat Ecclesia in re iuris divini, qualis est satisfactio debita pro peccato: haec vero dispensatio absque iusta causa est nulla.

Certum est quoque non requiri ad iustitiam causae, quod opus, pro quo indulgentia datur, sit ex se iam satisfactorium pro tota poena, cuius remissio per indulgentiam datur: nam in hac hypothesi non daret tibi remissionem poenae, quam tu tibi ipsi obtines, Ecclesiae auctoritas, sed solum commutaret opera pro obtinenda remissione poenae.

Quaestio est igitur an quaedam proportio requiratur operum, pro quibus indulgentia datur, cum ipsa indulgentia. Haec primum duplex est distinguenda quaestio: altera *moralis*, altera *realis*. Prior est: an in singulis casibus tuto se possint fideles committere prudentiae concedentis indulgentias, etsi non videant sufficientem earum causam: cui quaestioni respondendum est, quod nisi evidens sit insufficientia causae, debet subditus iudicium huius rei permittere illi, ad quem de iure spectat. Haec tamen responsio supponit causam aliquam sufficientem realiter debere esse, quam noverit ille qui indulgentias largitur. Altera proinde quaestio realis est: an oporteat causam esse proportionatam: quamvis autem quidam opinati sint quamlibet causam, dummodo sit pia, sufficere, censem tamen cum



Bellarmino (l. c. c. 12.) causam proportionatam requiri: ut pro maiore indulgentia maior causa h. e. perfectius opus, seu magis conducens ad Dei gloriam sive ex se solum, sive saltem ex circumstantiis, pro minore indulgentia minor causa postuletur, ut idcirco valida non sit coram Deo quoad excessum suum illa indulgentia, cuius causa minor est quam par sit. Quam sententiam sua aetate communiorum testatur Bellarminus, et iam communem dicit Lugus (l. c. Sect. 8. §. 2.). Ratio petitur ex eo ipso quod causa aliqua iusta et rationabilis (cf. verba Pontificum §. 1<sup>o</sup>) requiratur. Nam, ut ait Lugus, tam dissonum est rationi pro parva causa magnam concedere indulgentiam, quam parvam pro nulla. Sane, ait Bellarminus, videntur abuti vocabulis, qui dicunt requiri iustam causam, et simul volunt pro quolibet opere vel levissimo concedi posse indulgentiam maximam. Quomodo enim iusta causa dici potest, quae non habet proportionem cum effectu? Et hoc est quod ait s. Thomas in Suppl. q. LXXI. a. 10 requiri causam *convenientem* ut alicui indulgentiae valeant.

X. Adverte ex Lugo (ibid. Sect. 6. n. 91.) sufficientiam causae pro aliqua indulgentia pensari quoque ex multitudine et gravitate debitorum, quibus aliquis gravatur; ut pro aliquo minus reo sit causa quaedam sufficiens pro tota indulgentia, quae pro alio non sit: quatenus iustum est ut ab eo, qui magis reus est, plus exigatur pro concedendo ei favore, qui datur aliis minus reis; ut idcirco si id tantum ille praestat quod alii, non totam indulgentiam obtineat quam alii obtinent, si vero plus fervoris, devotionis, poenitentiae praestet, quibus reatus minuat, totam indulgentiam lucretur.

Iam monuimus §. 1. non necesse esse ut causa sita sit in aliquo opere iniuncto, quod peragendum sit: nam et meritorum, quae iam praecesserunt cum Deo aut cum Ecclesia, recompensatio potest esse ratio cur indulgentia detur: idque praxis confirmat omnesque theologo concedunt.

XI. Cum vero iusta causa adest et subiectum, cui indulgentia conceditur, rite est dispositum (iam significavimus §. 1. statum gratiae postulari), efficax est concessio indulgentiae. Ex demonstratione vero data potestatis huius (n. VI.) patet cur efficax sit ex opere operato. Est enim actus potestatis solvendi, ad quem solutio necessario sequitur, quatenus solvente Ecclesia, (clave non errante, ut aiebant veteres, h. e. dummodo debitae adsint conditiones) solvit infallibiliter Deus: *quodcumque solveris, erit solutum*. Dubitare proinde licebit an exstiterit iusta causa, an fuerint debitae dispositiones ex parte suscipientis, sed his positis de effectu indulgentiae concessae a legitima potestate dubitare non licet.

Et adverte heic doctrinam s. Thomae (Suppl. q. XXV. a. 2. ad 4<sup>m</sup>) qui respondet obicienti, quod si indulgentia tantum valet quantum praedicatur, ille qui plus laborat in exsequendo opere iniuncto e. g. visitatione Ecclesiae, non plus acquirat, quam qui minus laborat, puta quia vicinus est: quod iniustum videtur. Respondet autem s. Doctor: « quod ille, qui est vicinus Ecclesiae, consequitur tantam indulgentiam sicut ille qui veniret a mille diebus, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quae dispensantur (ex thesauro scilicet): sed ille, qui plus laboraret, acquireret plus de merito ». Quam doctrinam ita accipiendam putamus, dummodo et pro illo, qui minus vel nihil laborat, causa proportionata existat, quae, ut modo monuimus ex Lugo, potest secundum ordinationem Dei, commensurari etiam reatui poenitentis, ut plus ab illo quam ab alio exigatur, ut iusta sit ratio ei concedendi indulgentiam.

XII. Quaeritur tandem an indulgentia acquisita liberet ab obligatione faciendi poenitentiam iniunctam in Sacramento Poenitentiae. Si sit indulgentia partialis et saltem non sit de poenitentis iniunctis, negandum est; quia locus est utrique nempe satisfactioni tuae et remissioni Ecclesiae: tu autem ignoras prorsus quantum debeas Deo. Si autem sit indulgentia plenaria, docuerunt generatim theologo ipsam liberare ab ea obligatione, non quidem directe, quatenus irritet imperium confessarii, sed indirecte quatenus tollens debitum omne poenae tollit fundamentum illius obligationis. Nam confessarius ius non habet imponendi poenitentiam nisi supposito eo debito: etsi enim poenitentia imponatur etiam ut medicina, confessarius tamen nequit ad illam obligare nisi quatenus illam imponit in poenam peccati. Cf. Lugum l. c. Sect. 2. n. 24. Idem dicebant theologo de indulgentiis partialibus, quae *de poenitentis iniunctis* darentur, quoad illam partem poenitentiae, quae responderet indulgentiae concessae. Haec doctrina theologorum, spectata rei essentia, nequit reprobari. Hancque sententiam veram censeo cum datur indulgentia partialis de poenitentis iniunctis. Cf. quae dicemus §. 5. Nihilominus fieri potest ut qui indulgentiam concedit, velit remittere vel partem poenae vel totam poenam, sed eam tamen quae reliqua est ab illa, cuius remissionem tu per sacramentalem satisfactionem tibi obtinueris. In hac hypothesis profecto manet integra obligatio satisfactionis sacramentalis. Iam vero hanc esse intentionem suam significavit Leo XII in Bulla Iubilaei, *Caritate Christi*; loquens enim de Confessariis tempore Iubilaei, ait mentem suam non esse ut tollat obligationem poenitentiae impositae, rationemque reddit: quia satisfactio est pars sacramentalis poenitentiae: quae est saltem ratio congruentiae cur Rom. Pont. noluerit eam relaxare obligationem. Quamdiu ergo Ro-



mani Pontifices voluntatem suam ita declarant, nequit habere locum ea sententia theologorum. Refert Bellarminus (l. c. c. 7.) ex Paludano vetuisse Bonifacium ne Poenitentiarius iniungeret satisfactiones confitentibus peccata anno illo Iubilaei. Forte rem clarius expressit Glossa in illam Extravag. Bonifacii, inquiens, declarasse Pontificem quod sui poenitentiarii nil debent iniungere ultra iniunctionem hic positam, visitationem nempe basilicarum; qua declaratione et consulitur integritati Sacramenti et fideles a non debitis oneribus sublevantur, cum praesertim ea aetate satisfactiones a Confessariis impositae solerent esse non adeo leves.

§. IV.

De Indulgentiis pro defunctis.

I. Praemittenda quae certa sunt. Certum est 1° indulgentias defunctis (utique in gratia) non dari per modum absolutionis; quia cum amplius non sint subditi Ecclesiae, nequit haec in eos ullam iudicalem potestatem exercere.

Certum est idcirco 2° concedi indulgentias defunctis per modum suffragii. «Suffragii nomine (ait Gulielmus Estius in IV. D. 20. §. 11.) auxilium seu subsidium ecclesiasticum oportet intelligere, ut indulgentia per modum suffragii non aliud sit quam indulgentia, quae datur per modum auxilii ecclesiastici, id est eo modo, quo fideles per pia opera subveniunt aliis seu vivis seu defunctis. Quod cum fiat trifariam, vel merendo per opera, vel impetrando per orationes, vel satisfaciendo per passionem, indulgentia ut talis, cum proprie dispenset passionem sanctorum, non cuiuscumque suffragii ecclesiastici, sed satisfactorii tantummodo rationem habet». Cf. verba Leonis X citata §. 1.

Certum est 3° Romanum Pontificem non posse immediate, absque pio opere vivorum, dare indulgentias defunctis: «hoc enim est inauditum in Ecclesia, ait Lugus (l. c. n. 62.); nunquam enim Pontifices concesserunt aliquam indulgentiam defunctis, nisi concedendo vivis subditis, ut per pia opera propriam indulgentiam pro defuncto lucrentur: nunquam ergo agnoverunt Pontifices in se talem potestatem, quam in nullo prorsus casu exercere ausi sunt».

Certum est proinde 4° dari has indulgentias *directe* vivis, *indirecte* defunctis. *Directe* enim et *principaliter* (ut cum s. Thoma loquamur suppl. q. LXXI. a. 10) ille indulgentiam accipit, qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicuius sancti. *Indirecte* autem et *secundario* datur indulgentia ei, pro quo aliquis facit id, quod est indulgentiae causa. Cum ergo mortui nequeant

facere id, pro quo indulgentia confertur, iis ipsa non directe, sed indirecte datur.

Certum est 5° concessionem indulgentiae pro defunctis esse actum quemdam potestatis. Nam et Pontifices ius illud sibi vindicant propter verba Christi ad Petrum; et quamvis quilibet fidelis possit satisfactiones suas applicare defunctis, atque a Deo impetrare ut propter Christi merita et satisfactiones remittat defunctis poenam, nemo tamen dixerit fidelem ita agentem concedere indulgentiam defunctis. Cuius discriminis ratio nulla alia est nisi quia concessio indulgentiae est dispensatio thesauri Ecclesiae ex auctoritate.

Certum est 6° requiri aliquam causam convenientem pro concessionem huius indulgentiae, quae causa alia sit ab ipsa utilitate defunctorum. Id Romani Pontifices, omnesque theologi cum s. Thoma (l. c.) docent. Et sane primo eadem haec ratio valet ac in indulgentia pro vivis; non enim dominus sed dispensator thesauri est Rom. Pontifex: cum vero praeterea haec indulgentia detur directe vivis, patet quod haec quoque sequitur conditionem indulgentiae vivorum, quae causam requirit. Deinde quod causa alia debeat esse ab utilitate defunctorum constat rursus ex paritate indulgentiae pro vivis, ad quam huiusmodi causa requiritur, tum quia secus posset Rom. Pontifex ad libitum liberare omnes animas purgatorii, si infallibilis sit haec indulgentia: quod tamen, etiam hac admissa hypothese, nemo concedit.

Certum est 7° esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, quae valeant pro defunctis. Id ipse usus a tot seculis, cum de eo veteres quoque theologi mentionem faciant, confirmatus auctoritate Sixti IV (cf. Lugum l. c. n. 57) et Leonis X (cf. eius verba §. I.) satis demonstrat.

Certum est 8° aliquam specialem efficaciam competere indulgentiis concessis ab Ecclesia pro defunctis prae suffragiis, quae fideles ex voluntate propria offerant Deo pro iisdem. Nam auctoritas Ecclesiae dantis indulgentias, quae non intercedit cum fideles ex devotione suas satisfactiones applicant defunctis, aliquid coram Deo efficere debet, et dignitas Ecclesiae offerentis satisfactiones ex thesauro praevalent dignitati cuiusque fidelis, cuius tamen, pro sua penes Deum dignitate, acceptatur satisfactio in favorem alterius.

II. Utrum vero sit infallibilis effectus indulgentiae concessae defunctis, cum debitae positae sint conditiones, sit nempe auctoritas in dante, causa proportionata adsit, et vivus rite praestiterit quod exigitur a dante, disputatur. Lugus censet (l. c. n. 59) infallibilem esse eius effectum non secus ac indulgentiae pro vivis. Ratio est 1) quia Leo X de utriusque indulgentiae effectum, cum debitae exstite-